



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 1. Nomen & Quantitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

defæuit, puberes omnes iugulauit, impuberes cum mulierculis Constantinopolim abduxit, vnde nouas Græcorum, & Turcarum colonias huc submitit.

CAPVT IV.

De Venetâ ditione in Græciâ.

CRETAM Insulam ægrè reseruauere sibi in Ægæo mari Veneti ex quo perdidere Cyprum, & S. Ioannis Hierosolymitani equites ex Insulâ Rhodo eiekti sunt. Exinde tamen sapientiâ suâ perfecere, vt in fide persisteret à quo fidem nullam solent expectare Christiani, nam ab eo tempore non Cretam modò, sed & Cytheram, & Tenum præfidiis retinere Veneti vsque ad nostra tempora, quibus bella inter Christianos Europæos, Turcam ad fœdera violanda impulerunt.

§. I. *De Insulâ Cretâ, seu Candiâ.*NVM. I. *Nomen & Quantitas.*

DE nomine nihil occurrit quod dicam, nisi quod *Candia* dicatur, habeatque primariam ciuitatem iam toti Insulæ cognominem.

Quantitas eius spectata secundum *Longitudinem* ab *Hermico* Prom. ad Prom. *Salomonis* 4. gradus maioris circuli continet; ideòque 240. mil. pass. leuc. Franc. 120. Germ. 60. Secundum *Latitudinem* verò à *Cabo Sasoni* ad ostia fluuij *Linco* gradum vnum complectitur cum 10. minutis, igitur 70. mil. pass. 25. leucas Francicas, 17. cum dimidiâ Germanicas.

NVM. 2. *Qualitas Crete.*

FERTILITATEM Crete id maximè arguit, quòd in quibusdam eius Insulæ locis, bis in anno seratur, bis metatur. Vinum hinc generosissimum effertur, vulgò *de la Maluoisse*, olim vinum *Pramnium*. Tota est penè cupressis confita, vnde Veneti arculas conficiunt suas. Montes etiam pascuis læti, quare hinc armenta Bucera, & oves innumeræ. Neque ceruos, neque lupos, aut vrsos & vulpes